

antiquarische Bibliothek

~~5. 11. 21~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
M-54.
SIGNAT. 1515CCCXIII.

III
3. R.



107

DECLARATIO

TVRPITVDINIS PECCATI EORVM, QVI PER
concilium, Interim aut Adiaphora a Christo ad Antio
christum deficiunt, sumpta ex infra posita D.M.
Lutheri Prophetica pictura.



66

DECLARATIO

DE TRIPUDINIS PECCATI FORVM QVI PER
D. M. LUTHERVS. 1545.

Papa dat concilium, Liberum, Christianum,
Vniuersale, in Germania.

Sordida sus, renuis me ferre, At cogeris hercle,
Calcarisq; mei uulnera utrinq; pati.
Pocis concilium, de me quo tuta queraris,
Pro synodo merdam sed cape stulta meam.



617

Multi, magis secundum carnem, quam secundum Spiritum sapientes & modesti, ante paucos annos iudicabant hanc aliasque D. M. Lutheri picturas de Antichristo, esse famosas, petulantis & deliri iam senis nugas. Verum non ex petulantia, sed maiori quodam Zelo ac Spiritu profecta illa esse, uel huius Typi euentus comprobauit. ¶ Omnium quidem illarum picturarum haud dubie is scopus fuit, ut quoniam spiritu tertius ille Helias praeuidit multos exorituos pseudoprophetas, qui Romanum Arctolycum, ipsius scriptis & autoritate in templo gregeque Domini tanquam bonum pastorem collocare conabuntur, ut iam boni Interimistae & Adiaphoristae faciunt: Quare ex hac ualle miseriarum discessurus, conspicuis quibusdam notis & ueluti prae grandibus elementis suam sententiam de Antichristo & erga eum uoluntatem testatam facere omnibus hominibus uoluit, praeuenturus scilicet, si possibile esset, perniciosos istos Seductores. ¶ Verum haec pictura fuit prophetia de Tridentino concilio, alijsq; consequentis religionis corruptelis, admodum apte ea, exprimens: Nam Papa cum toties Germanis pollicitus esset concilium in GERMANIA, VNIVERSALE, CHRISTIANVM, ET LIBERVM, nec illi uiderentur ullo modo aliud Conciliū laturi, aut Papa petulantes illusiones diutius toleraturi, tamē ipse tandem ita artificiose eos equitare cepit, ut eis primum uolentibus nolentibus suum diabolicum stercus pro Concilio obtruserit. Deinde illi id (loquor de fontibus) maximo cum desiderio experire. ¶ Nam dedit Concilium, non in GERMANIA, sed in Italia. Nam Tridentini etiam Strabone teste in Italia sunt, & iam Italicē loquuntur. ¶ Non VNIVERSALE ex omnibus Christianis & ordinibus collectum, sed ubi aliquot tantum personati Episcopi, eius iurata mancipia, accusatores, defensores, & iudices fuerunt. Quod & ipsimet confessi sunt, nam cum Petrus Paulus Vergerius Episcopus Iustinopolitanus, qui iam per sexennium à Papa uexatus est, & nunc tandem expulsus, illud Conciliū accessisset, questusq; esset se à Papa uexari tanquam haereticum, petijssetq; se audiri, responderunt illi boni Patres, ibi esse tantum partem pro Papa stantem, si igitur haberet aliquid controuersiae cum Sanctiss: proficisceretur ad eum prius, & causam cum eo componeret, & postea ueniret ad Concilium. ¶ Non Christianum, ubi tantum

secundum Christi optimi pastoris uocem omnia dijudicari deberent, & ubi tantum dilectus Filius & optimi pastoris uox audienda esset: Sed ubi multa secundum Sophistas, plura secundum ius Canonicum, plurima uero secundum Sacrosancti patris pectoris scrinium dijudicarentur, & in quo tota forma, ordinis, personarum, cognitionis, & dijudicationis, ad arbitrium Papæ fuit constituta. ¶ Non LIBERVM, quo tuto utraque pars accedere posset, & ubi utraque pars Ecclesia Christi & Antichristus æquo audiretur, & ubi Iudices minimè partiales essent, sed syncerè ex uerbo Dei dijudicare dogmata & controuersias uellent, Sed prorsus seruum & tyrannide Antichristi oppressum. Nam primum locus, ut dictum est, in Italia fuit, in ea urbe, in qua Cardinalis Tridentinus (homo scelestissimus, ut mihi præter quotidianam experientiam, Doctor Iuris, qui ei olim iuueni familiaris fuit, affirmauit) habet benè extructam arcem, & ubi eius consanguineus alter Madrucius cum ualido præsidio fuit. ¶ Deinde iudices fuerunt ij, quos Papa delegit, aliquot scilicet personati Episcopi, omnes Papæ iuramento summè adstricti, qui à Papa magnas opes Ecclesiasticas acceperant, & maiores expectabant, imo qui sciebant, quòd si uel mutirent quicquam contra Papam, tum protinus essent primùm omnia bona deinde etiam uitam ipsam amissuri. Constat etiam Papam quosdam ex illis ipsis, qui uidebantur constantius sententiam dicturi, ex concilio remouisse & alios pro eis substituuisse. Constat etiam Papam prohibito formam concilij ordinasse & alios alijs præfecisse alios subicisse, suosque quatuor à Latere legatos toti illi coetui ueluti monarchas præfecisse. ¶ Postremò non fuit nobis LIBERVM illud Concilium, quia eodem tempore aduersarij contra nostras Ecclesias arma susceperunt, quo Concilium inchoari debebat. Vidi literas ab homine Papista illorum negociorum (ut apparebat) peritissimo Tridento Venetias Italicè scriptas. In eis significabat ille quàm crebrò Veredarij, seu (ut uulgo uocantur) Postæ inter Monarchas, & Papam commeent, & quàm crebrò à Papa in Concilium, mittantur: Affirmabatq; non prius uelle Papam inchoare Concilium, quàm intellexerit suos patronos bellum contra Lutheranos moturos esse. O præclarum dignumq; Papistis Concilium seu in Ecclesia Christi iudicium. ¶ Hinc igitur apparet, quàm multipliciter non fuerit liberum Germanicis Ecclesijs Tridentinum Concilium, quia scilicet

617

licet, iudices fuerint tantum mancipia Antichristi, & penitus partiales iudices, Quia locus non fuit tutus, quia fuit infessus militibus aduersariorum, & quia arma contra Ecclesias tunc sunt mota. ¶ Taceo iam ipsa Tridentini Concilij Decreta, quæ, ut à plurimis abundè declaratum est, ita impia fuerunt, ut facile appareret ea esse merum Antichristi ster-
cus. Satis etiam constat ea non Tridenti composita, sed Roma allata & ex sacro sanctissimi patris pectore & aluo profluxisse. ¶ Hinc ergo licet cuius animaduertere, quàm ob multas causas conciliabulū Tridentinum, non Concilium, sed ipsius Antichristi foetidissimum ster-
cus fuerit. ¶ Verum sicut Monarchæ impudenter contra omnia sua promissa aliquot sce-
leratorum hominum synagogam, & meras Papæ sordes Christo & eius Ecclesiæ pro Christiano & libero Concilio obtrudere uoluerunt, Ita Deus contra, eos nimium euidenter refutauit: Ostendit enim, ne ipsis qui-
dem esse liberum illud Concilium. Nam quanquam à principio satis con-
cordes fuerunt omnes aduersarij, dum de condemnando Christo in eius doctrina actum est, tamen postea, cum ad diuisionem uestium Christi uentum esset, id est, ad constitutionem bonorum Ecclesiasticorum, refor-
mationemque spiritualium, ueritus est Papa & quidam alij Monarchæ, ne minus equa diuisio sibi suisq; in Casarea ciuitate fieret: Subitò igitur missis literis iubet sanctissimos illos patres Tridento Bononiam commi-
grare in suam ciuitatem, ubi ille pro libito posset ordinare & constitu-
ere, quicquid uellet. ¶ Sed Casar dolo cognito statim mandauit sibi addictis Episcopis, ut Tridenti maneant. Ita illud in spiritu sancto (si cre-
dere fas est) congregatum Concilium factum est schismaticum, & in duas partes est scissum. Cumque postea multum laborassent, Imperator, Rex, & totum imperium, per literas & legatos, in reuocandis Triden-
tum illis, qui Bononiam abierant, nihil effecerunt. ¶ Ita Deus ipsismet Monarchis clarè & crasse ueluti digito ostendit, quòd Tridentinū Con-
ciliabulum ne ipsis quidè liberum fuerit, multoq; minus aliquot suis pau-
peribus Euangelistis & Concionatoribus liberum fuisset: Sicq; eorum Sophisma de libero & Christiano Tridentino Concilio refutauit, ut eam refutationem non tantum audire, sed et oculis spectare & manibus Pal-
pare uel inuiti cogere-
ntur. ¶ Sed hinc potest & debet Ecclesia Chri-
sti discere, quidnam significet Antichristus & eius filioli, cum nobis LI-

518
BERVM Concilium pollicentur, nempe tale concilium, in quo liberū sibi
eis omnia pro libitu agere, dicere, & concludere, nemine, ne Cesare qui-
dem, contra uel mutire quicquam audente.

ITa hætenus habemus, quomodo Papa suem inscenderit, iam calcari-
bus eam duriter figat, & ei sterco suum pro Concilio Christi obtru-
dat. Ad hanc partem picturæ etiam politicæ calamitates Germaniæ
pertinent. Iam uicissim uideamus, quomodo se Sus gerat. ¶ In picturæ
est, quod Sus quantumuis se malè tractari sentiat, tamen rostrum erigat
& Papæ sterco olfacere & habere cupiat. Ita uidemus proh dolor mul-
tos (ut ita dicam) Lutheranos, qui antea ueritatem Iesu Christi agno-
uerunt & amplexi sunt, Antichristumque & eius abominabiles sordes
cognouerunt, repudiarunt & detestati sunt, iam ueluti Sues (ut Petrus
inquit) redire ad lutum, & multipliciter sterco Papæ pro uero Con-
cilio & cœlesti ueræ pietatis manna uorare. ¶ Primum in Augustanis
comitijs Anno 47. cum scirent omnes fermè homines Concilium Tri-
dentinum nihil aliud esse, nisi aliquod mancipiorum Papæ conciliabu-
lum, Scirent eos, ne ipsi quidem Cesari præstare liberum Concilium aut
suum ius in eo seruare, iam enim transfugerant Bononiam, Denique etiam
scirent, quàm impia dogmata, planèq; cum uera pietate pugnantia de-
creuerant, et (ut breuiter dicam) Scirent planè esse merum sterco Pa-
pæ: Tamen expetiuerunt habere illud, consenserunt multi in illud et mul-
ti ad consentiendum crant parati, supplicaruntque ualdè sedulo Sanctis-
simo patri, ut eis illud sacrosanctum Concilium Tridenti dare uellet, quò
illo delicatissimo ferculo suauiter frui possent. ¶ Id ubi eis parum
successit, magno dolore affecti aliam uiam inuenerunt, quâ eo potiantur,
ultrò petierunt Interim, id est, omnes fermè abominationes Antichristi,
nonnihil tamen contectas sibi concedi. Id ubi nacti sunt, Deus bone quan-
topere triumpharunt, quàmque fœlices de tanto bono se iudicarunt &
prædicarunt, iam fore, ut Euangelium per totam Europam prædica-
tur (ingens .n. ostium esse Christo apertum) ut pax, unitas, conformi-
tas in tota Ecclesia & planè aurea sæcula ueniant. Esse autem Interim
ipsissimum Antichristi sterco satis euidenter plurimorum scriptis hæ-
tenus probatum est: ¶ Verum quia à quibusdam illi fœlices epula-
tores, ut Scheislebius, D. Interim, & alij plurimum reprehensi & derisi
sunt.

519

sunt, quare alij eiusdem ambrosiæ cupidi, ut sine reprehensione ea uese possint, clam ex eadem materia sibi & alijs parant ferculum, id saccaro & alijs condimentis condiunt, proferunt foras, decrant se proponere quoddam ferculum, in quo prorsus nihil insit mali, esse enim intus mera Adiphora, habere uero condimenti, suauitatis & commodi plurimum, pacis, concordie, unitatis, conformitatis, celestis cuiusdam disciplinae, propagationis Euangelij, & plane aureum seculum inde esse sequuturum. ¶ Illas dapes, quanquam plerique sciant & clarissime demonstratum sit esse tantum stercora & abominationes Antichristi, tamen libenter cum Adiphoristis uorant. Quia (ut est in pictura) Papa id benedicit: Idque duplici benedictione, spiritali & corporali, Primum spiritali, potest enim ipse dispensare de religione, etiam contra Apostolum & Euangelistam, ut uult, secundum sacrosancti sui pectoris scrinium, habet enim plenitudinem potestatis: Ut, antea cum sciret expresso mandato Christi præcipi, ut omnes ex calice bibant, cumque audiisset ex Gelasio Papa, esse grande sacrilegium contrarium facere: potuit nihilominus dispensare, ne quisquam Laicus inde bibat, & sit maxima hæresis contrarium sentire. Nunc cum sciat esse Catholicum, Orthodoxum, Apostolicum, & Romanisticum, Laicos tantum sub una specie communicare, tamen potest cum Lutheranis dispensare, ut etiam sit non impium sub utraque specie communicare, Sic & de Sacerdotum coniugio. ¶ Quare quamquam stercus Papæ alioqui sanctum est, utpote sanctissimi Patris, qui, ut Canonistarum oracula habent, est terrenus Deus, tamē cum id insuper ipse semet pro plenitudine suæ potestatis benedicit, tum tantus ei sanctitatis & spiritalitatis cumulus accedit, ut omnes ei deuotos beare possit. Haud dubie, sicut uerum est, quod Chrisma à Papa benedictum dat spiritum Sanctum, Item, quod aqua ex eius mandato consecrata possit esse aspersis salus & uita, Sic etiam uerissimum est, quod stercus eius ab eo benedictum suis cultoribus potest dare uitam. Deinde accedit carnalis benedictio, ut omnes, qui eius merdam pro uera pietate acceperint, possint habere pacem, uendere & emere, suosque deos, Mammona & Ventrem colere, fouere & seruare. Quæ bona tanti iam à multis fiunt, ut propter ea multi sapientes & uolentes in æternum exitium ruant. ¶ Hæc est explicatio propheticæ huius picture R. patris. D. Mar. Luth. piæ memoriæ. Præiudicium

dit enim Sanctus ille Dei Propheta suos Germanos, quibus ille tamdiu tamq; sollicitè de Antichristo, meretrice Babilonia, horribilibusq; eius abominationibus & penis concionatus est, adhuc ultro expetituros se (ut sic dicam) equitari ab Antichristo, eius iugum & tyrannidem sponte subituros, & ultrò ex terra promissionis in ferream fornacem istius infernalis Pharaonis redituros, eiusq; horribiles, & planè AEGiptias abominaciones, pro cœlesti Euangely Iesu Christi manna cupidè uoratuos, eoq; et plura si uixisset contra Papam scribere constituerat.

Incidam ego haud dubiè per hanc meam interpretationem in magnam multorum reprehensionem & odium, tanquam petulantur maledicus & contumeliosus conuiciator, Sicut & ipsi uiro Dei Luthero accidit: Peccamus enim omnes alacriter, sed peccatoris nomè sustinere non uolumus: Verum sciant omnes, qui habent aures ad audiendù, ut Christus loquitur, quòd quanquam et pictura hæc tetra sit et uerba mea uehementia, tamen adhuc nullo modo defectionis istius turpitudinem, deformitatem & impietatem esse expressam. ¶ Nam primum non tam miserum est, subiugale onere sessoris pressum & utrimq; calcaribus stimulatim, ac illi sunt miseri, quibus Papa insidet, quosque ex utroq; latere miserè pungit, tum spiritali, tum etiam corporali tyrannide. Nam (ut iam tantum de corporali eius tyrannide dicam) opes publicas & priuatas multipliciter ad se suosq; spirituales Antichristus rapit, ita ut illi fermè iam soli mundum teneant. Politicam gubernationem & politias ac iura uariè turbat. Bonas literas per suos indoctos spirituales non uno modo opprimit. Vxores, filias, & filios, per suos castissimos cœlibes sine intermissione per infinitas occasiones contaminat: Vnde ingens turpitude & ingentia incommoda ad Laicos perueniunt. Perpetuis bellis & dissidijs totum Christianum orbem concutit, ¶ Et ut breuiter dicam, Antichristus & eius spirituales, per uarias technas adeo etiam corporali tyrannide mundù oppressit, ut ex Laicis prorsus mancipia sua effecerit. ¶ De altero calcari Antichristi, id est, spiritali eius tyrannide nihil dicam, quia impossibile est præsertim in hac breuitate uel mediocriter de eo dici. ¶ Deinde non tam turpe est suam uorare sterces, quam turpe est non tantum coram omnibus gentibus sed et coram Deo eiusq; cœlesti Ecclesia, Euangelicos, postquam clare Christum agnouerunt amplexiq; et confessi sunt, & gen

Et postquam semel erroribus, abominationibus, et palpabilibus Antichristi seu Romani Pharaonis tenebris renunciarunt, ex eius ferrea fornace durismaque seruitute sunt mirandis modis liberati, coelesti Euangelij Iesu Christi manna pasti, et in terram promissionis adducti, denuo ad toties Condemnatum Antichristum, eius ferream seruitutem tenebras et abominaciones reuerti, eum accipere sessorum uelle, eius pati calcaria et infernale eius stercus, id est, horribiles eius impietates, abominaciones et idolatrias scienter per concilium Tridentinum, Interim, et Adiaphora, pro uera Iesu Christi pietate accipere, colere et adorare. Nullum stercus tam male olet hominibus, ac Antichristianismus, qui est uere Diaboli facti-
 disimum stercus, Deo et sanctis angelis sordet. ¶ Nullo igitur modo picturae sermonisque acerbitas ingentem impietatem et Spiritualem turpitudinem Apostatarum, qui nunc per Papatum, Concilium, Interim et Adiaphora a Christo ad Antichristum et ipsum Diabolum deficiunt, satis exprimit. O quanto aliter in extrema die iustus ille Iudex de Spiritus sancti impium mundum de peccato, iudicio et iusticia per sua organa arguentis clamoribus mundi; impoenitentia, ueritatis piarumque monitionum persecutione, iudicabit, quam iam impius Mundus iudicat, sibi; palps somniat. ¶ Quare cum sciam me nihil nimium in hac refacere, nec ullis quantumuis atrocibus uerbis peccati magnitudinem uel tantum adumbrare posse, et praeterca sperem multis pijs, uel iam lapsis uel lapsuris mundi laborem hunc profuturum, libenter et reprehensiones sapientum mundi huius et potentum odia perpetiar. Neque enim tantum praeteritum Tridentinum concilium fuit stercus Papae, sed et ea, quae deinceps Antichristus dabit, (sicut iam denuo de resuscitando post quartum annum, ex mortuis Tridentino conciliabulo agi audio) omniaque eius dona, quae suis cultoribus ille dat, eiusdem sunt materiae et praestantiae. ¶ Utile profecto est non uerbis tantum, sed imaginibus etiam ingentem uim impietatis, turpitudinisque defectionis a Christo ad Antichristum omnibus commonstrari: Plus enim afficiunt obiecta, quae per oculos menti ostenduntur, quam quae per aures. Plato inquit, si species sapientiae oculis cerneretur, haud dubie mirabiles sui excitaret amores. Quare passim in scriptura multae picturae proponuntur, ut uerae falsaeque religionis uis penitus intellectui infigatur. ¶ Inprimis autem Antichristus, eiusque

B protecto



protectores & cultores horribilibus picturis depinguntur: Antichristus, per infernalem bestiam & ruffum Draconem cum Sanctis & Ecclesia Dei pugnantem, & per meretricem, cum qua totus ferme mundus scortetur, & quæ sit piorum sanguine ebria. Monarchæ eius præcipui patroni & præsertim Romanum Imperium, pingitur per feram terribilem, sanguinolentam, & blasphemam, quam omnes adorant dicentes, quis potest cum ea pugnare, & in qua meretrix equitat. In manu meretricis est calix plenus abominationibus & turpitudinibus, sicut & in hac pictura Papa suum stercus Sui porrigit, Ita ut plurima sit cognatio huius picturæ cum pictura Ioannis. ¶ Deniq; pingitur Antichristus per Babilonem persecutricem Ecclesiæ Dei, matrem omnium scortationum & libidinum omniumq; abominationum, cui omnibusq; eius ciuibus longè tristissimum & æternum exitium ibidem angelus prædicit. Quare & magna uoce clamat ad pios, Exite, exite de medio eius, ne eius peccatorum participes fiat & de eius plagis accipiatis. ¶ Fugiant igitur omnes pij ab ista meretrice, iam ad infernum adiudicata & ab ira Dei super Babilonem istam cito uentura. Nam profectò iam securis ad radicem impiæ istius arboris posita est. Dominus Iesus nos liberet à uero malo, nempe à reprobis cultorum Antichristi sensu, & æterna eorundem damnatione. Amen.

Matthias Flacius Illyricus.

MAGDEBURGI APVD CHRISTIANUM Rhodium.



Et uidi mulierem sedentem super bestiam coccinam, plenam nominibus maledicentiae, habentem capita septem, & cornua decem. Et mulier erat circumdata purpura & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua plenum abominationibus & immunditia libidinis suae. Et in fronte eius nomen scriptum, *Mysterium: Babylon magna mater scortationum, & abominationum terrae.* Et uidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum IESV:

33



Et nisi maluerim de meo super deum in locum planum nomine
meum maluerim habere curam super in cornu domus. Et in-
ter est coram me super in cornu domus. Et in-
preloso. Et maluerim habere potuit in manu sua planum
abominabilem. Et in manu sua. Et in manu sua non
fuerunt. Et in manu sua magna manu sua. Et abomi-
nabilem. Et in manu sua. Et in manu sua. Et de
fuerunt manu sua.



Lang VI 54

ULB Halle

3

003 896 110



56a



[Faint handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

[Faint handwritten text, possibly from a different leaf or a very light ink.]

[Faint handwritten text, possibly from a different leaf or a very light ink.]





DECLARATIO

TVRPITVDINIS PECCATI EORVM, QVI PER
concilium, Interim aut Adiaphora a Christo ad Antio
christum deficiunt, sumpta ex infra posita D.M.
Lutheri Prophetica pictura.

